



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 912. Nomine clausuræ vel claustris quid veniat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

CAPUT II.

De clausura & peculio regularium tam virorum
quàm mulierum.

Quest. 912. nomine clausuræ seu claustris quid veniat?

R Esp. intelligitur totum illud spatium, quod ambitur & clauditur muris, parietibus & septis monasterii Sanch. l. 6. mor. c. 17. n. 12. Donat. Tom. 1. tr. 3. q. 1. Unde non tantum monasterii officina & habitacula interiora, sed etiam horum monasterio contigui inter præfatos muros & septa inclusi quò regulares se distractionis causâ conferunt, sub clausura comprehenduntur ut Sanch. l. n. 14. Donat. q. 1. Item Sacristia, si existat intra dicta septa vel ab eis immediatè pateat aditus ad illam; secus si extra septa existens soli Ecclesiæ sit conjuncta ab eaque immediatè pateat aditus ad illam; idemque de choro dicendum. Donat. q. 12. Pelliz. Tom. 1. tr. 15. q. 31. Bonac. de claus. q. 9. p. 1. Reiffenst. h. t. n. 27. Et in genere, ut Pirh. h. t. n. 42. omnis locus, siue sit area, siue hortus, siue conclave in quem monialibus licet ingredi; cum enim iis prohibitum sit egredi extra claustrum, omnis locus, in quem ingredi possunt, erit intra claustra & consequenter ad eum alia persona ingredi non possunt. qua propter jam ut declaravit Gregor. XIII. in Bulla sua de sacris virginibus apud Castrop. tr. 16. d. 4. p. 9. n. 5. non licere monialibus habere ostium, per quod ex monasterio interiori accedi possit in Ecclesiam exteriori monialium, in quam sæcularibus ad missam & officia divina patere solet accessus; nec etiam licere iis egredi à janua, quæ est pro clausura monasterii ipsius, etiam ad claudendam januam, quæ aditus patere solet sæcularibus, venientibus vel ad rotam vel ad crates seu loca colloquiis destinata, aut eam ad pulsandam januam ipsam clausuræ cum istiusmodi loca pro prædictis causis patere solita sint extra clausuram. proinde etiam à violatione clausuræ non excusantur exeuntes ad Ecclesiam etsi illius ostium eo tempore sit clausum; cum id sit per accidens, ut Castrop. l. c.

Quest. 913. an & à quibus induci possit hæc clausura & inducta instaurari.

R Esp. potest Episcopus inducere illam auctoritate Ordinaria monasteriis sibi subiectis auctoritate verò delegatâ monasteriis subiectis sedi Apostolicæ, uti expressè deciditur à Trid. sess. 25. c. 5. & 21. de regular. in monasteriis non subiectis Episcopo nec etiam immediatè sedi apostolicæ, sed prælatis earum regularibus, præter hos prælatos, quibus id commissum per c. periculoso h. t. in 6. posse quoque clausuram inducere & in ductam restaurare & curare, ut ea observetur, Episcopos auctoritate delegata illis à Papa, affirmat piaces, in prax. Episcop. p. 1. v. monialis. q. 4. & Barbos. 3. p. de potest. Episc. alleg. 102. n. 7. & 8. referens sic decimum à congreg. Concilii, quibus inhæret Castrop. l. c. n. 7. Non enim ex eo, quod in cit. c. periculoso h. t. in 6. ea potestas committatur dictis prælatis, rectè inferitur, eam per Trident. & constitutionem Pii V. non fuisse concessam Episcopis, dum Trid. loquens de monasteriis papæ subiectis non sine causa omisit dicere; immediatè subiectis, sicut dixit Bonifac. VIII.

in c. periculoso, sed ex ea ratione, ut extenderet potestatem Episcoporum ad monasteria subiecta sedi Apostolicæ siue immediatè siue mediatè, medijs nimirum Prælatibus regularibus, quod ipsum Pius V. in motu suo proprio, circa Pastores. videtur expressè declarasse, dum inquit, in iis monasteriis, quæ ad Romanam mediatè vel immediatè spectant Ecclesiam sedi Apostolicæ auctoritate una cum superioribus eorum Prælatibus (hoc est, simul ac ipsi hi prælati) clausuram servari procurant, nempe Episcopi. Qualiter autem dicta constitutio Piana non derogat Constitutioni Bonifac. VIII. aut etiam decreto Trid. sed potius illis faveat, cum per hoc, quod Episcopis quoque afluat facultatem indicendi clausuram monasteriis mediatè subiectis Pontifici non tollat aut minuat facultatem ipsorum Prælatorum regularium, optime declarat Castrop. l. c. & confirmat ex eo, quod jurisdictioni, quam habent ordinarii absolvendi à peccatis & censuris, non derogetur per hoc, quod regulares eandem potestatem habeant ex privilegio. Porro licet Superiores Ordinum clausuram necessariam seu à jure jam determinatam pro libitu aliter determinare, declarare aut variare non possint v. g. facere ut hortus intra septa monasterii existens non sit de clausura, possunt tamen ea loca quæ de rigore juris de clausura non sunt, vel de quibus dubium est. V. g. Sacristia, chorus &c. pro eadem determinare & declarare. Pelliz. Donat. Reiffenst. LL. cit. De cætero præterquam quod Bonifac. VIII. Trid. Pius V. Gregor. XIII. Paulus V. districtè præceperint ut clausura conservetur, aut ubi non est, inducatur, eaque decreta innovaverit Alex. VIII. prohibens insuper sub pœna nullitatis, ne in posterum ad habitum regularem admittantur novitiæ vel jam in probationis anno existentium professiones excipiantur, nisi monasterium in quo vestiri & profiteri cupiunt amplexum sit & ad amissum observet clausuram, quam relati superius Pontifices præscripserunt; poterunt modò Episcopi auctoritate apostolica præcipere ipsis monialibus strictam clausuram, quamvis eam expressè professæ non sint; cum hoc conforme sit primæ earum regulæ & ad votorum observationem necessarium, adeoque indirectè spectans ad professionem ut docet D. Thom. Quodlib. 10. a. 10. Sanch. l. 4. sum. c. 15. c. 3. Castrop. l. c. n. 2. Delben. de immunit. Eccl. c. 19. du. 3. §. 1. citatis aliis Sylv. p. 1. v. clausura. cas. 1. & 2. His proinde non obstantibus, quæ circa decretum illud Alex. VIII. rescripserit duo Nuncii apostolici Colonenses, quorum verba recitat La croix, l. 4. n. 68. quem vide.

Quest. 914. Qualis sit obligatio monialium non excundi, & num aliq̄ ab hac obligatione liberentur.

R Esp. ad primum: omnes ac singulæ moniales gravissimè obligantur ad clausuram quò ad egressum, ita ut mortaliter peccent, & ipso facto excommunicationem incurrant; quæ sine causa iusta & licentia clausuram egrediuntur etiam ad breve tempus ut constat ex claro textu c. unic. h. t. n. 6. junctis decret. Trid. l. c. quo eadem innovantur & confirmantur. Variorumque Pontificum Pii V. quæ est illius in ordine 8. in Bullar. cui subiectam
ejus